

Itaque pedes ex equite factus , ubi hostem in equo jam conversum districto in se gladio venientem videt , post tignum trabibus repagulisque sustinendis solo fixum sese continet : ita Germanum assultantem , atque i<sup>c</sup>tus de superiore loco adigentem , districto item gladio repellebat , quaque ipsum poterat , appetebat : nam equum lege prius dicta ferire Antonius non poterat . Sed dum crebris i<sup>c</sup>tibus acriter uterque rem gerit , neque quantum vult proficit , propterea quod galea , thorace , cæterisque ferreis indumentis totum pene corpus protegebatur : Antonius iracundiæ plenus , quod iniquam subire dimicationem cogeretur , seque ipse tacite incendens , hosti cupidius ferienti impetu facto gladium aufert : ille ab ephippiis ferrea , quam gerebat , abrepta clava pro gladio utitur . Tum vero clara ad Germanum voce : *Quid tu autem , inquit Antonius , me cogis unum cum duobus depugnare , quorum alteri lex , alteri aliena arma sunt præsidio ? si vir es , æquo marte manum confere .* Ita Germanus exultimationem hominum veritus , & magno præterea animo , equo & ipse desilit : comprehensique statim inter sese , atque arcte diu luctati , ambo concidunt . Erant utrisque magna & procera corpora , & vires corporibus pares . Germano tamen cadenti paulum superincubuit Antonius : sed ejus dexterum brachium a sinistro Germani humero , atque adeo armorum corporisque pondere sic premebatur , ut eo uti non posset . tum Germanus impedito atque implicito Antonio , ipse manu dextera liber , abrepta sica , quæ femori Antonii erat alligata , nates ei convulnerat : ea tantum corporis parte sua illum tegumenta non munierant . Vulnera Antonius accepto , cum omnino nullam defendendi sese viam sibi reliquam , & facultatem videret , sicque aciem Germanus i<sup>c</sup>tu altero atque tertio adegisset , *Vince , inquiens , quando ita voluit fortuna , casu enim , non virtute vincis , gloriam certaminis hosti dedit : quem quidem victor magno apud se honore plures dies ad exercitum habuit , curatoque vulnere , donis etiam additis , ad patrem remisit .*

*H. Bembi.*

B

*Post*